

Zeitschrift: Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie = Revue philosophique et théologique de Fribourg = Rivista filosofica e teologica di Friburgo = Review of philosophy and theology of Fribourg

Band: 11 (1964)

Artikel: "Communicatio spiritus"

Autor: O'Shea, Kevin F.

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761593>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 16.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

KEVIN F. O'SHEA, CSsR

«Communicatio spiritus»

(2 Cor 13, 13)

*De inhabitatione Divinarum Personarum in oeconomia
Paschali humanae salutis*

Sacra theologia biblico-patristica de opere paschali Domini nostri Jesu Christi fervente, nostris diebus multis in scriptis subauditur quaestio de novitate praesentiae Personae Divinae Spiritus Sancti in anima per Christum Passum Resuscitatum sanctificata¹. Quae quidem quaestio multa forsitan conferat ad plenam intelligentiam ipsius Paschatis Domini Redemptoris, necnon multa patefaciat de vita supernaturali Corporis Mystici cuius Caput iam per mortem consummatum exultans viam percurrit paschalem usque ad terminum gloriae. Cui quippe quaestioni istis diebus a peritis viris theologiae positivae suggeri videtur responsio qualis sequitur:

In aetate salutis quae incipit in resurrectione Christi, datur sanctificatis in Christo praesentia nova et singularis Trium Personarum Divinarum, qualis simpliciter non datur sanctis quovis modo gratificatis ante

¹ Cf. F. X. DURRWELL CSsR, *La résurrection de Jésus, mystère de salut*, 2^e ed., Le Puy – Paris 1954, praesertim chap. III: *La résurrection, effusion du Saint-Esprit*, pp. 99-132; Yves M. J. CONGAR OP, *Le mystère du temple*, Paris 1958, praesertim appendice III: *Présence et habitation de Dieu sous l'ancienne ou sous la nouvelle et définitive disposition*, pp. 310-342. Per modum supplementi, vide scripta auctorum sequentium: S. LYONNET, P. BENOIT, L. CERFAUX, L. BOUYER, H. SCHILLEBEECKX, W. GROUSSOUW, A. WIKENHAUSER, D. STANLEY, B. VAWTER, B. AHERN, etc.

aetatem historicam inceptam in resurrectione Christi ². Haec singularis praesentia Spiritus Sancti est, Spirati in sanctificandos a Filio Resurrecto cum Patre tanquam ab Unico Spiratore. Supponit haec praesentia adventum Filii in mundum per Incarnationem in carne passibili et mortali, necnon consummationem divinam istius adventus Filii per Pascha ex conditione «secundum carnem» per viam passionis, mortis et sepulturae, in plenitudinem vitae gloriosae Filialis die Resurrectionis. In tantum supponit praesentia nova consummationem Paschatis Filii Incarnati Redemptoris, ut Christus Homo non possit spirare Spiritum in sanctificandos per Ipsum, nisi prius consummetur in adventu Filiali per Resurrectionem ex mortuis.

Haec si prima facie doctrinam perpulchram spiritualem continere videantur, superficietenus quoque adversus theologiam speculativam receptam, saltem apud Thomistas, militare videntur. Valebit igitur poena investigationis speculativae suprapositae suggestionis, quae vix tam expressis verbis a peritis materiae positivae proponitur, in lumine thesium centralium receptarum scholae thomisticae traditionalis de inhabitatione divina.

Quapropter, investigationi supponuntur sequentes positiones speculativae ut omnino inconcussae:

Supernaturalitas donorum gratiae gratum facientis est supernaturalitas quoad substantiam seu intrinseca seu essentialis, et oritur vi specificationis istorum donorum ex ordine reali intrinseco transcendentali ad obiectum quod est ipsa Deitas: consequitur impossibilitas, etiam de potentia Dei absoluta, speciei multiplicis talium donorum. Inhabitatio datur realis et substantialis Trium Divinarum Personarum omni animae taliter gratificatae, tanquam obiectum quasi-experimentaliter cognoscendum et amandum: imo nexus absolute necessarius est, fundatus in natura rerum istarum supernaturalium, inter dona gratiae gratum facientis quovis tempore cuiusvis oeconomiae salutis concessa, et istam

² Cf. praesertim Jn. 7, 39. Post studia ARMITAGE ROBINSON, CALMES, LANGRANGE, TURNER, et maxime H. RAHNER, fons Spiritus est ipse Christus, non Christianus, ut indicat Vulgata, post Origenem. Sensus modernus, a peritis receptus, adest apud S. Justinum, S. Irenaeum, S. Hippolytum, S. Cyprianum, Tertullianum, etc. Vis sensus istius est: Christum ipsum non potuisse communicare Spiritum ante suam glorificationem. Cf. DURRWELL l. c.; H. RAHNER, Flumina de ventre Christi, Die patristische Auslegung von Joh 7, 37. 38, *Biblica*, 22 (1941), pp. 269-302, et 367-403; J. MÉNARD, L'interprétation patristique de Jean 7, 38, *Revue de l'Université d'Ottawa*, 1955, pp. 5-25; C. LATTEY, A note on Jn 7, 37-38, *Scripture*, 6 (1954) pp. 151-153.

inhabitationem. In tali sanctificatione et inhabitatione, munus quod competit singulis Personis Divinis ut singulis, iure intelligi nequit nisi *via appropriationis*: sed appropriative, et quidem appropriative tantum, in tali sanctificatione et inhabitatione quovis tempore cuiusvis oeconomiae salutis concessa, munus quoddam speciale singulis competit Personis Divinis ut singulis.

Aliae positiones his de rebus directe hic non considerantur, etsi ab iis qui extra vias scholae traditionalis Praeceptorem eiusdem scholae sequi velint, defendantur; indirecte tamen considerantur, nam haud raro istae positiones ortae sunt ex declarata vel suspecta oppositione donorum positivorum, qualia delineavimus, cum thesibus scholae traditionalis.

Tentamen nostrum speculativum summatim hoc est:

Amor divinus infundens bonitatem supernaturalem gratiae gratum facientis in sanctificandos per Christum Resurrectum, novo singulari modo appropriari debet actui notionali Spirationis Activae, ratione alicuius fundamenti appropriationis quod nec datur nec dari potuit nisi in Resurrectione Christi.

Ut in luce ponatur thesis, per gradus exponemus:

1. Duplex principium remotum explicativum, nempe,
 - A. Mutabilitatem fundamenti extrinseci appropriationis;
 - B. Validitatem appropriandi ad actus notionales.
2. Duplex donum divinae revelationis cuius contemplatio theologica regulat thesim nostram:
 - A. Incarnationem solius et unius Personae Filii Dei.
 - B. Hegemoniam istius Personae solius et unius super activitatem humanam naturae assumptae.
3. Considerationem donorum revelationis (2, A et B) in luce principiorum remotorum explicativorum (1, A et B), tanquam manuductionem ad crism problematis:
 - A. Necessitatem novi fundamenti extrinseci appropriationis ad actus notionales ex ipsa Incarnatione et Hegemonia Filii Dei;
 - B. Intimam naturam istius novae appropriationis.
4. Crism ipsam problematis:
 - A. Necessitatem mutationis fundamenti extrinseci appropriationis ipsi Spirationi Activae, in facto historico mortis et resurrectionis Christi;
 - B. Naturam intimam istius novae appropriationis.
5. Consectaria ex isto principio theologico:
 - A. De intima ratione ipsius Paschatis Christi;
 - B. De intima ratione gratiae gratum facientis animae per Christum Passum Resuscitatum sanctificatae, necnon inhabitationis et missionis divinae istam gratiam consequentis.

1. Duplex principium remotum explicativum

A. Mutabilitas fundamenti extrinseci appropriationis

Appropriatio non est res minimi momenti, solius tituli et nominis, utut apparet quibusdam auctoribus, sed est quaedam manifestatio valde misteriosa, conceptibus finitis, ipsius Trinitatis indivisae Deitatis, per attributionem rationum divinarum quae in seipsis formaliter proprie non competunt singulis Personis ut singulis, ipsis Personis istis ut singulis; et ideo est fervens et humilis inquisitio in ipsam secretam et divinam conditionem distinctarum Divinarum Personarum in indivisa Deitate³. Talis inquisitio humana nullatenus est spernenda, nullatenus est parvipendenda, etiam relate ad indagaciones proprias, non appropriatas, ipsius sacrae theologiae speculativae de mysterio sanctissimae Trinitatis: nam hagiographi sub divina inspiratione, et Ipse Christus Dominus Qui videt Patrem terminis appropriationis usi sunt, qui certocertius non sunt termini dicendi sine re⁴.

«Quomodo esset possibilis ista appropriatio, si non haberet fundamentum in re divina? Existimo istud fundamentum dari, existimo appropriationem esse fundatam obiective, sed nos non possumus dicere quid sit istud fundamentum. Quomodo possumus istud affirmare? Ex sola digna acceptione fidei Christi Jesu⁵.» Haec ultima verba magistri sacrae theologiae trinitariae, P. Ambrosii Gardeil, OP, summopere laudanda sunt, sequentibus cum clarificationibus:

Verum, formale, proprium fundamentum appropriationis est aliquid reale, obiectivum, intrinsecum ipsi Rei Divinae, nempe unitas seu identitas singularium Personarum Divinarum ut singularium cum ipsa indivisa Re Divina, quae quidem unitas seu identitas ineffabilis est conceptibus finitis tum in via tum in patria. Etenim, lumen scientiae subalter-

³ Cf. R. GARRIGOU-LAGRANGE OP, *De Deo Trino et Creatore*, Taurini - Paris 1943, pp. 185 seqq.: «Difficilis est haec quaestio de appropriatione, ad eam solvendam theologus debet conservare, sensum mysterii' et non velle illud semper ad ideas claras quasi univocas reducere ...» (p. 185). Cf. A. GARDEIL OP, senior, in *Supplément à la Vie Spirituelle*, juillet 1932, (p. 12 seqq.); H.-F. DONDAINE OP, *La Trinité*, Paris 1945, *Renseignements techniques*, *Les appropriations trinitaires*, tom. II, pp. 409-422; M. J. SCHEEBEN, *Handbuch der katholischen Dogmatik*, erster Band, S. 888-889; CAIETANUS, in *I^{am}*, q. 39, a. 1, n. VII, quae nota, uti omnes norunt, stat inter profundiora commenta in mentem D. Thomae de mysterio Trinitatis in Unitate.

⁴ Cf. Jn. 14, 16-17.

⁵ A. GARDEIL OP, loc. cit. pp. 12-13. Cf. DONDAINE, loc. cit. pp. 421-423.

natae sacrae theologiae non potest unitatem praedictam Personarum singularium ut singularium cum Re Divina terminis propriis exprimere, non tantum dum in statu imperfecto viae peregrinamur a Domino sed etiam in statu perfecto patriae dum vidimus Dominum facie ad faciem. Lumen theologicum fulgor est evidētiaē conceptualis mysteriorum divinarum creditorum aut intuitive visorum, atque conceptibus finitis tendit lumine in quantum potest exprimere necessitates quae vigent inter varia mysteria in Re et Mente Divina. Non absolum est humiliter confiteri in Re et Mente Divina nexus necessarios quos non valet lumen tale theologicum conceptibus finitis propriis unquam exprimere ne quidem in patria divinae visionis. Intimus modus quo Personae Divinae ut singulae identificantur omnino cum Re indivisa Divina, in aeternum manet secretum ipsius et solius divinae visionis. Ratio huius secreti non est mera liberrima voluntas Dei, haec sancte apud Semetipsum servantis, sed est infirmitas conceptus finiti de Re divina semper deficientis, qui praedictum intimum et divinum modum identitatis Personae singulae ut singulae cum Unitate terminis propriis describere non valeat. Theologis ita limites suae scientiae confitentibus, offeruntur appropriationes in revelata doctrina certificatae, tanquam pretiosae insinuationes illius Summi Mysteriorum quod exprimitur verbo proprio solum in Divino Verbo facialiter viso. Etsi istiusmodi appropriationes non possunt plene penetrari terminis analyticis propriis et in perfectam organisationem doctrinalem theologicam reduci, sunt momentosae indices plenae Veritatis et Claritatis Quam studemus nunc et nunquam studendo exhaustimus. Fundamentum reale obiectivum intrinsecum solum videbimus in Verbo quando verbis propriis non amplius indigemus.

Unitas vero praedicta non potest esse radix ipsius appropriationis nisi in quantum alicui intellectui extra Deum manifestatur. Haec manifestatio fit per tria stadia. Primo, manifestantur rationes formales Divinae Essentiae communes ad extra. Secundo, revelantur Proprietates Divinarum Personarum Singularium conceptibus finitis. Tertio, ex stadiis prioribus, implicite offertur intellectui revelata contemplanti medium appropriandi, in quantum conceptus finiti quibus revelantur Proprietates Divinarum Personarum Singularium affinitates speciales mysteriosas retinent ad speciales rationes formales Divinae Essentiae communes in speculo creaturarum manifestatas. Opus Divinum ad extra, in contextu revelationis supernaturalis mysterii Trium Personarum Distinctarum, credenti intellectum quaerenti viam appropriationis aperit Hoc sensu, manifestatio Divinae Essentiae in opere ad extra fundamentum con-

stituit extrinsecum et quoad nos ipsius usus appropriationis. Qui quidem usus confirmatur ex praxi ipsius divinae Scripturae et Magistri nostri, Christi Jesu.

Etsi fundamentum intrinsecum obiectivum appropriationis sit aeternum et omnino immutabile, nec patitur gradus, nihilominus fundamentum extrinsecum et quoad nos eiusdem appropriationis est in tempore et mutabile, et sic multos patitur gradus. Opus enim Divinum ad extra non stat in indivisibili, sed amplectitur totum ordinem naturae necnon ipsum ordinem elevationis supernaturalis. Varia opera Dei in utroque ordine sic scalam supplent intellectui divina meditati, ut surgat in contemplationem Divinae Essentiae et variarum rationum formalium virtualiter tantum distinctarum in Ea formaliter eminenter contentarum, et sic habeat plures et uberiores terminos comparationis ad conceptus finitos sacrosanctos quibus fit revelatio Trinitatis Personarum Divinarum. Etenim crescente opere divino ad extra, crescit sphaera affinitatum mysteriosarum nobis attingibilium inter rationes formales divinae essentiae et proprietates Divinarum Personarum Singularium. Sic, verbi gratia, ex donis distinctis cognitionis intellectualis et amoris spiritualis in ordine naturae, surgere possumus ad contemplationem Sapientiae et Amoris ipsius Dei, deinde appropriare ista attributa communia Secundae et Tertiae Trinitatis Personis: multo melius vero ex donis distinctis cognitionis et amoris supernaturalis in anima per caritatem sanctificata.

Stabilitur igitur mutabilitas fundamenti extrinseci appropriationis.

B. Validitas appropriandi ad actus notionales

Appropriatio valide fieri potest non tantum rationum communium ipsius Divinae Essentiae ad personas divinas ut singulas, sed etiam ad ipsos actus notionales ut singulos, ad istos actus sacratissimos melius quoad divinam indolem nobis insinuandos. Sunt enim in divinis actiones originis ex quibus tota nostra notitia personarum incipit et clarescit. Actus isti, notionales vocati, processus sunt originationis termini in ipso momento originationis considerati, et sumuntur ex parte ipsius principii processionis et ut eius actus. Actus notionalis realiter identificatur cum relatione divina subsistenti quae est principium processionis, v. gr., actus notionalis generandi in divinis est ipsa relatio paternitatis, actus notionalis spirandi in divinis est ipsa relatio spirationis activae. In creatis categoria relationis et categoria actionis diversae sunt; sed in divinis

debemus quantum possumus nobis exprimere mysterium Dei Patris recurrendo ad duos conceptus complementarios quoad nos, relationis scilicet et actus, qui nobis indicant melius aspectus Patris perfectissime in re identicos cum Patre: actus enim notionalis melius indicat nobis supremam activitatem Eius generativam, relatio vero formalem puritatem paternitatis simplicissimae et aeternae. Actus notionales in divinis sunt igitur actus generandi, et actus active spirandi, et exprimunt sub alio aspectu quoad nos mysterium distinctionis ipsarum Personarum in indivisa Unitate divina.

Quapropter, si valeat processus appropriativus rationum communium Divinae Essentiae ad ipsas distinctas Personas Divinas, eo ipso valere debet ad ipsos actus notionales. Si ista doctrina non explicite proponatur apud theologos, ab iisdem non negabitur; imo a traditione antiqua omnino verificabitur.

Stabilitur igitur validitas appropriandi ad actus notionales, quo in processu valebit iterum principium mutabilitatis fundamenti extrinseci ipsius appropriationis.

2. Duplex donum divinae revelationis cuius contemplatio theologica regit thesim nostram

A. Incarnatio solius et unius Personae Filii Dei

Non Pater, non Spiritus Sanctus, sed solum Verbum caro factum est in Virginis utero: Incarnationem enim divinitatis non in Patre, neque in Spiritu Sancto, sed in Filio tantum, corde credimus et ore confitemur⁶. In Christo Domino habemus naturam humanam assumptam in unitatem Personalitatis cum ipsa Persona solius et unius Filii Dei.

Mysterium Incarnationis solius Filii optime cum Sancto Thoma explicatur per relationem unionis naturae assumptae ad Personam Filii Dei, fundatam in priori reali identitate personali inter istam naturam et ipsum Filium Dei, in identitate scilicet infinita et divina in increata personalitate Eiusdem Filii Dei⁷. Sic pro Sancto Thoma Incarnatio est positiva realis absoluta communicatio increatae personalitatis solius

⁶ Professio fidei Waldensibus ab Innocentio III praescripta, D. 422, PL 215, (1511). Cf. Concilium Remense, D. 392, Mansi, 21 (c. 713).

⁷ Cf. S. THOMAM, III, q. 2, a. 7, cum commentario CAIETANI, praesertim n. III.

⁸ Cf. K. F. O'SHEA, CSsR, *The Human Activity of the Word*, *The Thomist*, 22 (1959) pp. 143-232.

Filii Dei ad naturam assumptam in sublimi identitate personali ⁸. Prorsus intra istam mirabilem identitatem, connotantem semper relationem consequentem unionis, datur quaedam mysteriosa perfectivitas sacrae humanitatis ab ipsa personalitate increata ipsius Filii Dei. Filius, in sua propria personalitate qua Filius, perficit et actuat sacram humanitatem per modum causae formalis, sed nullatenus a sacra humanitate recipitur neque ab ea limitatur aut coarctatur. Identitas personalis increata importat igitur actuationem puram formalem humanitatis a Filii Personalitate, et ipsa identitas ista vocari potest, aliquo vero sensu, identitas transformativa humanitatis in Filium ⁹. In exercitio istius causalitatis purae formalis, Filius solus, quia solus incarnatur, partem habet. Exercitium tamen efficientis causalitatis qua trahitur sacra humanitas ad Filium, totae tres personae communiter agunt: indivisa enim sunt opera Sanctissimae Trinitatis ad extra ubi non obviat relationis oppositio ¹⁰.

En igitur id quod solius Filii, id quod Trium Personarum est, in Incarnationis mysterio.

*B. Hegemonia istius Personae solius et unius
super activitatem humanam naturae assumptae*

Activitas humana Jesu Christi tota et integra, in ratione physicae praemotionis efficientis divinae, a Tribus Personis Divinis communiter movetur, et ab iisdem singulariter speciali providentia regitur. Activitas ista Jesu Christi, tota et integra, in ratione activitatis alicuius subiecti personalis et operantis, a solo Filio Dei Incarnato procedit, et est vere activitas humana ipsius Filii Dei, et nullius alterius personae. Imo, activitas ista in ratione activitatis solius Filii Dei ut Subiecti personalis, vere realiter active afficitur a solo Filio Dei secundum causalitatem perfectivam formalem, non tamen in statu in quo communiter invenitur, sed, iuxta superius dicta, in statu analogo puro et sublimi.

En igitur id quod solius Filii, id quod Trium Personarum est, in activitate humana Christi, quae perinde theandrica nominatur ¹¹.

⁹ Cf. idem, loc. cit. et Pure Formal Actuation, The Irish Theological Quarterly, 28 (1961) pp. 1-15.

¹⁰ Cf. PIUM XII, «Mystici Corporis Christi», AAS 35 (1943) p. 231. De communi efficientia divina praemotiva activitatis humanae Christi, cf. O'SHEA, De influxu divino personae Verbi exclusivo in activitatem humanam Christi, dactylographice, pro MS, Angelicum 1957, praesertim pp. 153-175.

¹¹ Cf. E. A. WUENSCHEL CSsR, De operatione Christi theandrica eiusque principio quod, Doctor Communis, 1952, pp. 11-45.

Omnibus patebit, omnes qui inveniunt gratiam in Christo Jesu Redemptore nostro, sanctificari vi activitatis humanae Christi instrumentaliter adhibitae a virtute divina qualis supra exponitur.

**4. Consideratio donorum revelationis (2, A et B)
in luce principiorum remotorum explicativorum (I, A et B),
tanquam manuductio ad crisim problematis**

*A. Necessitas novi fundamenti extrinseci appropriationis
ad actus notionales ex ipsa Incarnatione
et Hegemonia Filii Dei*

Crescente opere divino ad extra, crescit sphaera affinitatum mysteriousarum inter attributa communia et proprietates personales Trinitatis. Posito igitur novo ordine super ordinem communem supernaturalem supereminenter novo, scilicet ordine Unionis Hyposticae, augentur affinitates attributorum ad Personas Divinas singulas ut singulas. Quales affinitates examinando, per gradus ascendamus:

Activitas seu amor divinus praemovens regulativus vitae humanae Jesu Christi videtur nobis affinis, modo mysterioso, ipsi isti vitae humanae Salvatoris, quae vita humana est solius et unius Personae Filii Dei Incarnatae. Quapropter sic nobis suggeritur quaedam ratio specialis attribuendi amorem istum divinum, stricte communem tribus personis divinis ad extra operantibus, singulae Personae Filii Dei ut singulae, et ideo oritur novum fundamentum novae appropriationis attributi communis ad singulam Personam Filii. Exinde appropriatur specialis et singularis amor praemovens regulativus, quo Tres Personae dirigunt activitatem et amorem et vitam humanam Jesu, ad solam Personam Filii, Cuius quoque, in quantum tamen Incarnatae, est ipsa ista activitas et vita et amor humanus tanquam solius Subiecti personalis operantis. Et sic optimo modo explicantur pulcherrima dicta SS. Patrum de hegemonia Verbi super activitatem humanam Salvatoris ¹².

¹² Cf. PS.-DIONYSIUS, De Divinis Nominibus (PG III, c. 643): «Discretum autem est a benigna ad nos divina operatione, secundum nos ex nobis totaliter et vere substantiam factum et supersubstantiale Verbum, et facere et pati quaecumque humanae ipsius contemplationis sunt electa et semota. Istis enim Pater et Spiritus secundum nullam communicaverunt rationem; nisi aliquis dicat secundum bono convenientem et benignam voluntatem et secundum omnem superpositam et

Profundius, si placeat superius posita explicatio theologica ipsius unionis hypostaticae, in lucem poni potest fundamentum istius appropriationis. Posita enim Incarnatione, necesse est nobis manifestari sublimem affinitatem inter amorem divinum indivise communem Tribus Personis, quo regulatur vita humana Jesu, et actuationem puram formalem quae perficit assumptam naturam ipso rutilanti splendore Divinae personalitatis Filii Dei. Porro etiam in communi consideratione rerum naturalium, videtur esse quaedam affinitas analogiae inter causalitatem efficientem et causalitatem formalem, quae saepe ambae vocantur termino communi causalitatis 'activae' ¹³. Ratione igitur causalitatis activae formalis, quae solius Filii est, respectu humanitatis assumptae, naturale erit attribuere causalitatem activam efficientem, quae Trium Personarum indivise est, respectu naturae Filio uniendae, et activitatis humanae Filii dirigendae, ipsi singulae Personae Filii ut singulae. En quomodo ex ipsa positione mysterii incarnationis Filii in realitate historica, oritur fundamentum novum extrinsecum appropriationis ad solam Personam Filii.

Quo fundamento innixa, facile mens contemplantis pergit ad novas appropriationes ad personam Patris et personam Spiritus Sancti. Nam theologus qui concipit Personam Filii specialiter dirigentem vitam suam humanam divino influxu, quasi per extensionem appropriativam illius formalis pulchritudinis quae assumptae humanitati per Eum traditur, naturaliter etiam concipit personam Patris, quatenus est Pater istius Filii, et personam Spiritus Sancti, quatenus est Flamen utriusque, cum activitate Filio specialiter appropriata intime communicantem. Et hoc quoque in textu patristico de actione theandrica famoso haud obscure innuitur ¹⁴.

Hucusque de necessitate novi fundamenti extrinseci appropriationis praecise ad Divinas Personas ut singulas. Ad intentum nostrum tamen

ineffabilem divinam operationem quam faciebat et secundum nos factus, invariabilis, secundum quod Deus et Dei Verbum.» (Textus citatus ex S. THOMA, in librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus expositio, ed. C. Pera OP, Taurini-Romae 1950, p. 51). Cf. S. LEONEM M., in Tomo ad Flavianum, «Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est.» (PL 54, c. 767). Fontes exegeseos patristicae in istos textus indicantur in *The Human Activity of the Word*, loc. cit. nota 20, et exponuntur apud WUENSCHHEL, art. cit.

¹³ Cf. IOANNEM A S. THOMA, *Phil. Nat.*, Ia, q. 10, art. 1, in ed. Reiser, Taurini 1933, tom. 11, p. 201.

¹⁴ Cf. supra, nota 12.

magis pertinet novum fundamentum appropriandi ad actus notionales. Etenim, amor divinus regulans vitam humanam Jesu, iam appropriatus singulari modo Personae Filii, nunc amplius et profundius appropriari debet ipsi Actui Notionali Spirationis Activae. Nam principium quod appropriativum istius amoris divini regulantis, est Persona Filii; et principium quod proprium actus notionalis spirationis activae est Persona Filii cum Persona Patris ut Unicus Spirator¹⁵. En affinitas, recondita sane, sed vera, sese suadens theologo meditati. En necessitas novae appropriationis ad actum notionalem spirationis activae ex ipsa incarnatione et hegemonia Filii Dei. En harmonia inter textus patristicos de hegemonia Filii in vita humana Jesu et textus patristicos de dominio Spiritus Sancti in eadem vita¹⁶.

Certocertius, naturaliter oritur tentamen appropriandi istum amorem divinum regulativum sacrae humanitatis, etiam ad actum notionalem generationis. Et sane valebit tentamen: minus tamen directe, ob duas praesertim rationes. Primo, minus directe consideratur amor dirigens divinus ut specialiter Patris quam ut specialiter Filii, nam vita humana Jesu, Filii est, non Patris, et actuatio humanitatis a Filio, non a Patre est. Secundo, minus directe proceditur a principio 'quod' appropriativo amoris dirigentis, scilicet, Persona Filii, ad principium 'quod' proprium actus notionalis generationis, scilicet, Personam Patris, quam ad principium quod proprium actus notionalis spirationis activae, scilicet, Personam Filii cum Patre. Illic enim Filius est Qui procedit, hic Filius est a Quo, cum Patre, procedit Spiritus. Indirecte vero valebit tentamen appropriandi ad actum generandi, nam ratione dicti ordinis inter processiones seu inter actus notionales, non appropriatur uni nisi etiam inducitur nova quaedam manifestatio alterius. Sed hoc secundarium est, imprimis stat appropriatio ad Spirationem Activam.

Fundamentum appropriationis qualis describitur sistit in ipsa Incarnatione et Hegemonia Filii Dei, et semper manet qua tale, quidquid accidit sacrae humanitati assumptae. Itaque validum manet tum in vita mortali Jesu, tum in ipso statu mortis, tum in vita immortalis post resurrectionem.

¹⁵ Sunt enim in divinis duo spirantes, unus tamen spirator: cf. S. THOMAM Ia, q. 36, a. 4, ad 7um. Unitas Filii cum Patre, etsi non constituit unam personam divinam, constituit aliquid subsistentiale in divinis, sicut ipsa essentia divina praedita est aliqua subsistentia divina absoluta.

¹⁶ Cf. Homilia S. GREGORII MAGNI in Evangelia, homilia 16, in Lc. 4, 1; cf. A. HASTINGS, *Prophet and Witness in Jerusalem*, London 1958, pp. 76-97.

Dummodo perfecte revelatur Incarnatio Secundae Personae SS. Trinitatis in humana natura, stat coram mente theologi fundamentum extrinsecum istius appropriationis etiam ante factum historicum eiusdem Incarnationis. Attamen, haud perfecte manifestatur opus divinum Incarnationis Unius ex Trinitate ante Revelationem ipsius Filii Dei Incarnati. Ideo fieri nequit, in actuali historia humanae theologiae, appropriatio istiusmodi ante praedicationem ipsius Domini¹⁷. Posita tamen historica actualitate mysterii, prius aut tunc revelati, *melius conaturaliusque* mens credentis fide donisque illustrata Rem Divinam taliter communicatam sapit, faciliusque surgit ad discursus appropriativos quales delineavimus. Summopere cavenda est idea mutationis fundamenti intrinseci appropriationis, scilicet, unitatis Personarum singularium ut singularium cum indivisa Divina Essentia Divinisque Attributis et Amore, ex historica actualitate ipsius divini operis in Unione Hypostatica: ex hoc enim nullatenus mutatur Deus et Divinus Amor in Deo, sed effectum novum habet in tempore, nempe unionem humanitatis ad immutabilem Personam Aeterni Verbi¹⁸. Opus divinum ad extra fundamentum tantum extrinsecum, uti diximus, supplet appropriationi, in quantum intima eiusdem operis ratio fulget menti, non in quantum actualis et historica existentia, Deo movente, eidem operi datur in re. En sensus in quo solo loquimur de novo fundamento, ex necessitate oriundo, appropriationis, in ipso facto historico Incarnationis et Hegemoniae Personae Filii Dei in humana natura.

B. Intima natura istius novae appropriationis

Ex dictis, intima natura novae appropriationis amoris divini effectivi Incarnationis, et regulativi vitae humanae Jesu, ad Spirationem Activam, sistere videtur in affinitate nova manifestata inter utramque, quae quidem affinitas praecise est inter principium 'quod' utriusque. Affinitas ista profunda est, dignaque attentione tota theologorum. Est enim aspectus particularis illius divini modi in quo Persona Divina singularis ut singularis identitatem habet ei quod commune apud Tres Personas, semper manet in uno Deo.

¹⁷ Attendamus non solum ad factum istud, sed ad convenientiam summam facti in divina providentia.

¹⁸ Cf. S. THOMAM, Ia, q. 19, a. 7; IIIa, q. 1, a. 1, ad 1um.

Omnibus patebit, ex isto actu amoris divini, regulativi vitae humanae Jesu, appropriati Spirationi Activae, infundi in animam ipsius Jesu gratiam habitualement aliaque dona gratiae gratum facientis¹⁹. Patebit quoque omne donum gratiae gratum facientis, quovis tempore cuiusvis salutis oeconomiae, semper procedere effective ab amore divino qui secretissimo et sacratissimo modo unitur Spirationi Activae. Patebit etiam omne donum gratiae gratum facientis collatum sanctificatis in meritis Christi ante adventum ipsius Christi et consummationem operis Ipsius, ab eodem amore procedere, cuius tamen intima adunatio Spirationi Activae aliquo arcano modo in revelatione mysterii Christi futuri manifestatur. Patebit demum omne donum gratiae gratum facientis collatum sanctificatis in virtute instrumentali humanitatis Christi post adventum Eiusdem in mundum necnon consummationem operis paschalis, ab uno eodemque immutato amore divino procedere, cuius tunc conjunctio divina Spirationi Activae magis meliusque lucescit. Et ex hoc sequuntur multa notatu digna de gratia Christianorum necnon de inhabitatione Spiritus Sancti, aliarumque Divinarum Personarum, in eisdem: quae tamen convenientius dicenda sunt post discussionem ipsius crisis problematis nostri de novitate aetatis consummationis Paschatis in Resurrectione Christi. Quae enim hucusque dicta sunt, ad aetatem Incarnationis, tum ante tum aequae post Resurrectionem, sese referunt.

4. Crisis ipsius problematis

A. Necessitas mutationis fundamenti extrinseci appropriationis ipsi Spirationi Activae, in facto historico mortis et resurrectionis Christi

In consummatione Paschatis Domini per mortem et resurrectionem, sic crescit opus divinum salvificum ad extra ut novas inauditas insuspectasque affinitates nobis manifestet inter amorem divinum regentem providentiam supernaturalem christianam, et actum notionalem Spirationis Activae, fundamentumque ita praebeat novum extrinsecum unius actus ad alterum appropriandi. Ex ipsa divina revelatione in Scripturis

¹⁹ «amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus.» S. THOMAS, Ia q. 20, a. 2, c.

Sanctis, mors et resurrectio Christi apparet ut consummatio adventus Personae Filii in mundum, Eiusque missionis visibilis, per constitutionem Ipsius in plenitudine vitae humanae gloriosae quae propria esse debet Personae Filii Incarnatae²⁰. Revelatur enim adventus Personae Filii in humana carne praecise ut sit Redemptor mundi per Opus Paschale mortis et resurrectionis. Unumquodque autem est propter suam operationem, seu propter seipsum in actu completo et perfecto²¹. Actus vero completus et perfectus Personae Filii Dei Incarnatae ut sit Redemptor per opus paschale, est ipsum Pascha, est Resurrectio ex mortuis²². In ordine ad actum istum paschalem, opus actu sanctificandi omnes animas per Christum quovis tempore gratificandas, et ipsa completio oeconomiae istius salvificae, cum traditione regni salutis Deo et Patri, nonnisi complementum et consecrarium est²³.

Porro amor divinus regens providentiam salutarem in Christo et iis qui Eius sunt, novo singulari modo appropriari potest et debet actui notionali Spirationis Activae, ob istam consummationem adventus Filii in mundum seu missionis visibilis Filii, in quantum ipsa consummatio supplet novum singulare fundamentum extrinsecum tali appropriationi. Non agitur nunc, ut agebatur antea, de nova affinitate manifestata inter principium 'quod' appropriativum istus amoris, et principium 'quod' proprium Spirationis Activae. Agitur nunc de diversa affinitate inter eosdem duos actus divinos. In divinis enim, datur ordo inter duas processiones, secundum quod processio Spiritus Sancti ordine posterior est processione Filii²⁴. In divinis igitur, datur ordo inter duos actus notionales, secundum quod actus notionalis Spirationis Activae ordine posterior est actu notionali Generationis²⁵. Nunc age, amor divinus regens vitam humanam Christi per Pascha suum consummati, necessario considerandus est a nobis ordine posterior amori divino qui perduxit ipsum Christum ad ipsius Paschatis plenitudinem, qui effecit ut ipse Christus Redemptor sit in plenitudine Adventus sui in mundum et Missionis suae visibilis, qui perinde appropriatur ipsi actui notionali

²⁰ Cf. Rom. 1, 4; Phil. 2, 11.

²¹ Cf. S. THOMAM, Ia-IIae, q. 3, a. 2; CAJETANUM in Ia-IIae, q. 3, a. 2, 3, 4; BAÑEZ in n. l., a. 2, ed. Beltran de Heredia, Madrid, 1942 tomi, p. 85.

²² Quod non tantum argumento speculativo sequitur, sed et textibus positivis, maxime S. Pauli, cf. Phil. 2, 8-11.

²³ Probe notandum est, ipsam Christi Resurrectionem a nobis non includi in hoc consecrario, sed in ipsa essentiali ratione operis Christi redemptoris.

²⁴ Cf. S. THOMAM, Ia, q. 27, a. 3, ad 3um.

²⁵ Cf. S. THOMAM, Ia, q. 41, a. 1.

Generationis a Patre, qui ideo Mittens dicitur Christi visibiliter in mundum ab Eodem Patre missi ²⁶. Quapropter, amor divinus regens vitam humanam Christi Resuscitati nova affinitate elucet actui notionali Spirationi Activae: in quantum scilicet retinet, respectu actus appropriati Generationi, illum ordinem qui vere viget inter proprium actum Spirationis et proprium actum Generationis. In quantum enim amor iste ordine posterior et consequens est actui appropriato Generationi, affinis splendet actui qui ordine posterior et consequens est ipsi proprio actui Generationi, scilicet, actui Spirationis Activae. Fundamentum istius novae appropriationis non est nisi consideratio actus amoris divini regulantis providentiam salutarem christianam, tanquam posterioris ordine alio actu divini amoris qui iam consideratur ut actui notionali Generationis appropriatus. Posterioritas enim ista praecise est mirabilis affinitas ipsi actui notionali Spirationis Activae, qui in divinis proprie posterior ordine est actui notionali Generationi.

En igitur necessitas novi fundamenti extrinseci appropriationis ipsi Spirationi Activae, in morte et resurrectione Christi Domini.

Dummodo perfecte revelatur mors cum resurrectione Secundae Personae SS. Trinitatis Incarnatae ut sit Redemptor, stat istud fundamentum coram mente theologi etiam ante ipsam realitatem historicam mortis et resurrectionis Ipsius. Sed in oeconomia divinae revelationis res aliter sese habent. Ideo fieri nequit nova appropriatio ante manifestationem Novi Testamenti ipsius Paschatis Christi Domini. Posita quoque ipsa realitate historica consummationis Paschatis, perfectissime proponitur theologo intimus sensus ipsius Resuscitati ut Filius est consummatus in vita humana propria Ipsi, necnon ut exinde gratificans totum mundum animarum. Qui sensus consummationis adventus Filii in mundum vix et ne vix quidem obiectum constituere poterat profundae contemplationis theologicae ex qua perciperetur nova appropriatio Spirationi Activae, ante factum historicum ipsius Christi actu et realiter ex mortuis resurrecti. Imo, etiam tunc, haud facile pergit theologus in istas tam arduas vias, sed indiget, in suavi providentia divina revelanti, positiva manifestatione appropriationis istius, quae tamen non deficit apostolicis testibus resurrectionis et per eos etiam ecclesiae duraturae ²⁷. Ideo appropriatio ista, eiusque fundamentum, semper a Virginis utero

²⁶ Cf. infra dicenda de ratione missionis divinae.

²⁷ Cf. Jn. 7, 39; Jn, 19, 34; Jn. 20, 19-22. Quoad exegesim istorum textuum, cf. DURRWELL, l. c. nota (1).

scita fuit humanae theologiae ipsius animae Christi, et forsitan ipsi illuminatae menti Virginis Matris a Spiritu Sancto Redemptoris obumbratae, sed generatim omnibus accessibilis non fuit nisi Christo ipso mortuo et resurrecto ²⁸.

Quaeritur utrum consummatio adventus Filii, quae est fundamentum appropriationis istius, consistat magis in morte Christi redemptiva quam in resurrectione ex mortuis. Respondetur quod consummatio adventus Filii tanquam Filii Redemptoris, de qua sola consummatione agitur, habetur essentialiter quando ponitur opus essentielle Eius ut Redemptor est, habetur integraliter quando ponitur opus integrale Eius ut Redemptor est. Opus autem essenziale Eius ut Redemptor est, opus est mortis sacrificialis in cruce, ex quo salutem obtinuit mundo per viam satisfactionis et meriti et redemptionis. Opus autem integrale Eius ut Redemptor est, Pascha est per mortem ad vitam resurrectionis, ex quo salutem symbolice complevit transeundo ut Homo a statu physico symbolice proprio humanitati a Patre separatae, ad statum physicum symbolice proprium humanitati iterum Patri unitae. In ordine ad opus istud essenziale et integrale, tota redemptio subiectiva ²⁹ et applicatio gratiarum animabus usque ad finem temporis aliquod consecrarium est ³⁰. Quapropter magis dicitur appropriatio nostra haberi in consummatione Paschatis, in morte scilicet una simul cum resurrectione; et ideo convenienter in Sacris Scripturis appropriatio ista insinuatur tum post ipsam mortem Christi tum et magis post ipsius resurrectionem ³¹.

²⁸ Sic non videtur esse ratio restringendi appropriationem amoris divini ipsi Spiritui, sensu nostro, durante vita Christi 'secundum' carnem, quoad mentem beatam Christi et mentem illuminatam ipsius Divinae Matris. Inde a momento Incarnationis, videtur dicendum quod tum Filius Redemptor tum Mater Redemptoris in divino lumine potuerunt et de facto sciverunt istam appropriationem, et non tantum conceptualiter sed et realiter, in amore et contemplatione eiusdem amoris divini sic appropriati ipsi Spiritui.

²⁹ Distinguuntur duo phases in opere redemptivo, terrestris nempe et caelestis, quae saepe vocantur redemptio objectiva, per viam sacrificii, meriti, satisfactionis, et sacramentalis efficienciae, et redemptio subjectiva, per viam interpellationis caelestis et communicationis physicae gratiarum salutis.

³⁰ Nobis videtur quod vox ista «consecrarium» relate ad aliquod «principium» in sensu pleno usuali quoad materias scientificas retineri potest et debet in praesenti contextu.

³¹ Quoad mortem per fluxum sanguinis et aquae ex latere aperto in cruce (Jn. 19, 34) et quoad resurrectionem per sufflationem et verba Christi vespere diei Resurrectionis, Jn. 20, 19-22.

B. Intima natura istius novae appropriationis

Clavis novae appropriationis sistit in nova manifestata affinitate inter actum amoris divini regulativi providentiae christianae, et actum notionalem Spirationis Activae. Affinitas tamen ista est praecise ut diximus inter *ordinem* utriusque actus relate ad actum notionalem Generationis, aut proprie aut appropriative sumptum. Quae sane *diversa* et *nova* affinitas est quam illa inter principium 'quod' utriusque actus, sicut habetur vi ipsius Incarnationis et Hegemoniae Filii. Imo profundior affinitas est, et maiorem revelationem constituit mirabilis unitatis inter Personas divinas ut singulas et communem divinam essentiam.

Non videtur possibilis intimior ratio appropriandi, intimior affinitas quam ista ipsius ordinis actuum divinorum: unde modus iste appropriandi videtur esse ultimus in linea ipsius appropriationis ad actum notionalem Spirationis Activae. Et ideo recte dici videtur istam appropriationem, etsi, iure alibi aliisque diversis rationibus et fundamentis stabiliatur, consummative et antonomastice non poni nisi ista ratione istoque fundamento: unde et in aliquo sensu simpliciter absoluteque non poni nisi taliter.

Omnibus patebit, ex isto actu amoris divini, regulativi providentiae christianae in ipso Christo et iis qui Eius sunt, sic appropriati Spirationi Activae, semper infundi dona gratiae gratum facientis iis quibus ab amore divino intenduntur. Thesis nostra in sensu exposito est igitur aliquod principium explicationis theologicae intimioris naturae ipsius doni gratiae gratum facientis in providentia christiana tum in anima ipsius Christi tum in animabus ab Eo sanctificatis. Cum autem iuxta scholam traditionalem thomisticam ex ipso dono istius gratiae oriri inhabitationem specialem Divinarum Personarum necnon Missionem Filii et Spiritus Sancti invisibilem, videtur etiam thesis nostra esse principium explicandi etiam propriam inhabitationem et missionem Divinarum Personarum in oeconomia paschali humanae salutis, in omnibus stadiis eius historicis, et praesertim in Ecclesia Christi Passi et Resurrecti.

5. Consectaria ex isto principio theologico

A. De intima ratione ipsius Paschatis Christi

In theologia classica, Pascha Christi est transitus a statu carnis passibilis et mortalis per viam passionis mortis et sepulturae ad statum carnis impassibilis et immortalis die Resurrectionis. Apud theologiam biblico-patristicam recentiorem, huic conceptui omnino retento additur conceptus transitus Christi a tempore praeparatorio ad instans in quo solo potuit dare absolutam et novam et ultimam praesentiam Spiritus Sancti animabus per gratiam gratum facientem sanctificatis. In quantum attitudo ista recentioris theologiae importet aliquam mutationem in ipsa divina Persona Filii Dei, aut in ipso amore divino ex quo datur omnis gratia, aut aliquam veram et realem novitatem ipsi Deitati intrinsecam fundantem novam appropriationem amoris dotantis actui Spirationis Activae, prorsus rejicienda est, utpote omnino contraria principiis speculativis absolute inconcussis sacrae theologiae, magnifice a Divo Thoma vindicatis. In quantum vero attitudo ista importet mysterium Paschatis, in sua essentiali ratione, et maxime in sua obiectiva actualitate, nobis manifestare profundam appropriationem actus divini amoris gratificantis, ad actum notionalem Spirationis Activae, appropriationem scilicet quae semper et necesse valet de amore divino gratificante, sed quae solum per revelationem perfectam Paschatis Mysterii nobis elucere potest, laudanda et retinenda est. Quapropter, omnibus perpensis, et omni sensu mutationis vel novitatis in ipsa Deitate repulso, iure videtur concipi Pascha Christi tanquam transitus ad instans in quo elucet mundo ditissima profunditas amoris divini gratificantis ut est amor appropriative Spirativus, a Patre et Filio ut ab Unico Spiratore principiatus. Hoc sensu videtur bene speculative interpretari textus Novi Testamenti de novitate gratiae per Christum Passum Resuscitatum communicatae, uti mox videbimus.

*B. De intima ratione gratiae gratum facientis animae
per Christum Passum Resuscitatum sanctificatae,
necnon inhabitationis et missionis divinae istam gratiam consequentis*

Supernaturalitas gratiae gratum facientis oritur iuxta scholam traditionalem thomisticam vi specificationis ipsius ex ordine reali intrinseco transcendentali ad obiectum specificativum quod est ipsa Deitas; et effective vi amoris Divini specialis virtualiter transeuntis animae communicatur. Ideo, in quantum ipsa Deitas et amor divinus obscuritates retinent humanae theologiae, in tantum quoque gratia gratum faciens, ut specificata Deitate, et ut effectus amoris divini, similes retinet obscuritates³². Sed, a pari, in quantum ipsa Deitas et amor divinus magis per viam appropriationis nobis insinuantur, ita quoque in tantum ipsa natura gratiae gratum facientis item eadem via nobis innuitur. Videtur igitur quod ipsa Incarnatio, Hegemonia, et Pascha Filii Dei Incarnati, utpote summum divini operis ad extra, ultimas nobis suggerens appropriationes divinas, intimissiam naturam ipsius doni gratiae aperiunt. Sic videtur quod obiectum specificativum ipsius gratiae ita manifestatum, est Deitas ut appropriative est Filii cum Patre, ut unici Spiratoris Sancti Amoris. Videtur etiam quod amor divinus effective communicans istam gratiam ita manifestatus, est amor divinus ut appropriative est Filii cum Patre, ut unici Spiratoris Spirantis Spiritum Sanctum Amoris. Ista appropriationes forsitan aliquo modo ex contemplatione donorum finitorum supernaturalium, praesertim sapientiae mysticae et caritatis, fieri potuissent; sed non eodem modo ac nunc, ex contemplatione supremi operis divini ad extra in Paschate Salvatoris.

Iuxta doctrinam receptam scholae traditionalis thomisticae³³, secundum donum gratiae sanctificantis datur animae gratificatae praesentia nova specialis ipsius Deitatis, et Trium Personarum Ei mirifice unitarum, tanquam obiecti quasi-experimentaliter cognoscendi et amandi. Nunc ex principiis nostris videtur quod ista Deitas praesens sic reddita, est Deitas ut appropriative est Filii cum Patre Spirantis Amorem³⁴. Quod si alio fundamento stabiliri potuisset, non ita ac nunc,

³² Intima enim natura gratiae specificatur ex ipsa Deitate.

³³ Cf. IOANNEM a S. THOMA, in Iam, q. 43.

³⁴ Phrasis ista 'Filii cum Patre Spirantis Amorem' magis nobis commendatur quam illa 'Filii cum Patre, ut unici Spiratoris Amoris', etsi ambae validae sunt. Nam prima magis suggerit appropriationem ad Filium ipsum, directe, Qui in ipso actu notionali Spirationis partem propriam habet ut 'Spirans' in spiratione ab unico spiratore, nempe a Filio spiranti et Patre spiranti.

ex fundamento novo manifestato in Paschate Salvatoris. Quapropter praesentia specialis gratiae ut elucet principiis nostris, est quidem Trium Divinarum Personarum, sed praecise, via semper appropriativa, Filii ut cum Patre Spirantis Amorem, Spiritus ut a Filio cum Patre Spirati, Patris ut Gignentis Filium cum Eo Spirantem communem Spiritum. Et ideo, brevitatis cause, optime describi potest ista praesentiam Trium ut praesentia 'Spiritus Sancti'.

Notandum est, nullo modo sustineri potest ipsum Filium formaliter qua Incarnatum, seu Christum qua Hominem, spirare Spiritum Sanctum. Ratione activitatis humanae paschalis Christi Homini, amor communis Patris et Christi ut Filii Dei et Spiritus, novis appropriationibus singulis personis ut singulis elucet.

Sententia nostra, igitur, specialis nova inhabitatio est Filii cum Patre Spirantis Amorem. Hoc importat doctrinam de speciali missione invisibili Filii et Spiritus, de qua nunc amplius agemus.

Missio divina est egressio seu processio Divinae Personae ab Alia Divina Persona, cum destinatione ut sit novo modo praesens in mundo. Distinctio proponitur a theologia recepta, et quidem omnino retinenda, missionis visibilis Filii a Patre in Incarnatione, in qua venit in mundum in carne visibili; missionis visibilis Spiritus Sancti a Patre et Filio die Pentecostes, quando apparebat repraesentative in igne et vento; missionis invisibilis simul Filii a Patre et Spiritus ab Utroque in sanctificatione animae per gratiam ³⁵. Persona missa relationem habet tum ad personam mittentis, tum ad terminum ad quem mittitur ³⁶. Ad personam mittentis, relatio est realis originis in divinis; ad terminum ad quem in mundo mittitur, relatio est novae praesentiae isti termino, quae in persona missa relatio rationis est, cui respondet in termino creato relatio realis ad personam missam fundata in novo effectu applicanti ei creaturam ³⁷. Quando ambo aspectus integrantur, habetur conceptus missionis, singulari unitate praeditus. Integratio ista dupliciter fit, primo ex idea valde generali 'procedendi', quae modo confuso unit aeternam originationem Personae Missae cum nova Eius praesentia termino cui mittitur, secundo et magis, ex hoc quod aeterna origo Personae Missae causa est novae Eius praesentiae termino cui mittitur, in quantum divinae processiones (seu actus notionales) iuxta D. Thomam supremae sunt causae omnium effectuum extra Deum ³⁸. Itaque vinculum inter duas relationes Personae

³⁵ Cf. S. THOMAM, Ia, q. 43, a. 3 et a. 7.

³⁶ ³⁷ ³⁸ His de rebus consule optime scripta H. F. DONDAINE OP, op. cit. pp. 425-431.

missae, ex quo consistit ratio una missionis, est vinculum causale. Nam actus (notionalis) (seu processio) ex quo Persona missa relationem realem habet originis ad Mittentem, est causa novi effectus in creatura, ex quo Persona missa relationem rationis verae praesentiae habet creaturae novam relationem realem ad Eam possidenti. Causalitas autem effectus in creatura, causalitas efficiens est, et «omnia habenda sunt Sanctissimae Trinitati communia, quatenus eadem Deum ut supremam efficientem causam respiciant»³⁹. Unde si vere dici queat actus notionalis seu processio, causa efficiens alicuius effectus extra Deum, non est nisi in quantum efficientia communis Trium Personarum appropriative nominatur actus notionalis seu processio. Unde ad rectam notionem integratam missionis divinae personae, invocari debet doctrina de appropriatione, et quidem, de appropriatione communis efficientiae divinae ad actum notionalem⁴⁰. Sensus est, ipsum actum notionalem ut singularem ineffabiliter uniri actui communi efficientiae novi effectus in creatura, et novae praesentiae personae ad creaturam: unitatem tamen istam nonnisi terminis appropriativis a nobis exprimi posse.

In novitate ergo nobis elucenti ex mysterio Christi de inhabitatione Divinarum Personarum in anima sancta, continetur novitas similis de missione divina Filii et Spiritus eidem animae. Novo modo elucet enim identitas actus notionalis ad actum communem efficientiae, et ideo novo appropriationis modo loqui possumus de vera missione ipsarum personarum. Ideo in isto pleno sensu, nunc loqui possumus de Filio misso in animam sanctam a Patre ut cum Eo sit Unicus Spirator Spiritus Sancti, Spirati seu Missi, seu Dati ad eandem animam. In hoc pleno sensu, nonnisi ex glorificatione Christi apparet ista ultima visio sensus missionis Spiritus Sancti et Filii, et in quantum de facto significatio glorificationis Christi non revelatur nisi testibus ipsius realitatis historicae, «nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus»⁴¹.

Iuvat in fine indagare de relatione mutua inter missionem istam invisibilem, in sensu nostro ultimae consummationis, et missionem visibilem tum Filii tum Spiritus Sancti. Iuxta principia nostra, prius ordine habetur missio, consummata quidem, Filii in humana carne. Dein, posterioritate ordinis, venit missio invisibilis, sensu perfecto, simul Filii Spirantis et Spiritus. Demum stat missio visibilis Spiritus ut suggerat

³⁹ AAS 35 (1943) p. 231.

⁴⁰ Cf. item DONDAINE, op. cit., p. 431.

⁴¹ Jn. 7, 39.

nobis profunditates iam obiective manifestatas in consummatione Christi paschali. Unde ordo missionarum divinarum est secundum ordinem processionem divinarum et actuum notionalium. ⁴² Imo suggeri forsitan potest aliqua pulchra convenientia inter ipsum ordinem missionis visibilis Filii, et sequentis ⁴³ missionis Eius invisibilis, et simul missionis invisibilis Spiritus, et sequentis ⁴⁴ missionis visibilis. Filius Qui est Patris et Dicentis Expressum Verbum, in missione visibili magis exprimitur quam in missione invisibili, et ideo ordine stat prior missio visibilis. Spiritus Qui est Patris Filiique Amor latens, in missione invisibili magis per modum Amoris secreti habetur quam in missione visibili, et ideo stat ordine prior missio invisibilis. Nullatenus confunduntur missiones invisibiles et visibiles, sed distinctae uniuntur ad manifestationem grandem divini operis salvifici ad extra.

Certocertius aliae sunt validae appropriationes hisce in rebus quam illae de quibus tractavimus, v. gr. eae ex consideratione donorum finitorum supernaturalium caritatis et sapientiae haustae. Forsitan quibusdam in punctis haud plene conveniunt illis quas proposuimus. De tali non-convenientia non nunc curamus: agitur enim de appropriato non proprio termino exprimenti mysterium ineffabile. Manebit tamen locus synthetice organisandi et uniendi diversas appropriationes ex diversis fontibus et fundamentis, ut melius meliusque eluceat manifestatio Trinitatis in Unitate Divina in opere ad extra.

Intentio nostra erat ostendere magnam intuitionem theologiae recentioris biblicae-patristicae de singulari novitate praesentiae Personae Divinae Spiritus Sancti in anima per Christum Passum Resuscitatum sanctificata ⁴⁵ componi posse cum explicatione speculativa scholae tra-

⁴² Ex quo poni potest quaestio de intima relatione inter Pascha et Pentecosten, inter resurrectionem et ipsam ascensioem et dationem visibilem Spiritus. Videtur quod fundamentum extrinsecum novae appropriationis et ideo sensu nostro nova missio fit obiective in ipsa morte et resurrectione Christi, sed omnibus, et quidem ipsis apostolis communiter, non datur stimulatio subjectiva ut capiat istud novum obiectum contemplationis ante gratiam Pentecostalem. Theologia nostra speculativa hodierna procedit ergo in lumine ipsius fidei pentecostalis.

⁴³ Loquor de pleno sensu missionis, de quo semper in praesenti articulo, post consummationem paschatis.

⁴⁴ Ipsa visibilis missio pentecostalis est post consummationem Paschatis Filii.

⁴⁵ Culmen contemplationis mysticae in Ecclesia Christi Resurrecti videtur esse cognitio quasi-experimentalis et amor Deitatis Filii Spirantis cum Patre Amorem, et haec est Deitas Quam sperat Ecclesia militans videre facie ad faciem et amare in aeternum.

ditionalis thomisticae sequentis Augustinum et Thomam Magistros, imo ex ista theologica positione melius lucescere. Sic melius intelligatur Opus Christi Paschale ut Revelatio ipsius Divinitatis et Divinizationis mysterii, meliusque capiatur supremum secretum indolis intimioris ipsius gratiae Christianae, meliusque sapiatur unitas totius historiae salutis in omni aetate utriusque Testamenti, praesertim vero in aetate consummata incoepta in resurrectione Christi. Peritis theologiae positivae gratias agamus qui doctrinam istam invenerunt recentioribus studiis, libenterque strenueque laboremus usque ad eius in theologia speculativa Augustino-Thomistica traditionali perfectam integrationem.